

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 4

Anno quarto regni domini nostri Childeberti regis, sub die Kalendas Decembris. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Irmina, in Christi nomine Deo sacrata acsi indigna gratia Domini abbatissa, sana quidem, Deo propitio, mente sanoque consilio testamentum meum fieri rogavi, idque fratri in Christo meo Huncione presbitero scribendum commisi. Idcirco dono a die presenti pro remedio animae meae vel pro mercedis meae augmento in aeterna beatitudine vel retributione ad basilicam quae est in nomine sanctae Trinitatis vel in honore sanctae Mariae genitricis Domini nostri Ihesu Christi vel beatorum apostolorum Petri et Pauli seu caeterorum sanctorum in villa nostra Epternaco constructa, sita super fluvium Sura, ubi dominus et pater noster in Christo Willibrordus episcopus rector et gubernator esse videtur, donatumque esse volo, hoc est in ipsa villa Epternacon, quantumcumque ibidem ex successione paterna vel materna michi obvenit ad integrum, tam domibus quam aedificiis, casis, mansis, mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, cum appenditiis vel omnibus adiacentiis suis, Baidelingo, Matholfingo vel portione mea in Oxinvillare. Omnia ista cum adiacentiis eorum, una cum pastoribus vaccariis, porcariis, bervicariis, cum gregibus eorum vel omni peculio promiscuo ad sepefata loca sanctorum vel ad monasteriolum ibidem constructum in Dei nomine volo esse donatum, exceptis hominibus illis quos per epistolas nostras ingenuos relaxavi, quorum vocabula sunt: Garario, Cumloaldo, Achilde, Theodfrido filio, Aldfrido, Clodoare, Raocare, Warinlinde, Bacelinde, Grauceleba, Gundulfo. Isti toti denominati annis singulis unusquisque eorum in luminaribus unam libram cerae ad supradicta loca sanctorum in ipsa villa Epternaco constructa ad nativitatem Domini reddere vel dissolvere studeant. Similiter dono ad iam dicta loca sanctorum vineae pedeturam unam in monte Viennense, cum vinitore nomine Alithfredo cum omni peculiari suo. Ista omnia, ut superius intimavi, ad memorata loca sanctorum a die presenti per presentem paginam testamenti nostri tradimus atque transfundimus perpetualiter in Dei nomine possidendum. Haec sunt quae huic testamento meo annectere volui. Si quae liturae vel caraxaturae adiectionis factae sunt, ego feci fierique iussi, dum michi mea sepius recensetur voluntas. Nam si quis contra hoc meum testamentum venire temptaverit, aut aliquid irrumpere voluerit, sit anathema maranatha, indissolubili vinculo in eternum dampnatus, et sit lepra percussus Naaman Siri, et insuper inferat fisco auri libram unam, argenti pondo duo, et nichilominus presens testamentum firma stabilitate permaneat. Actum Treberi die et regno suprascripto. Ego Huncio, in Christi nomine presbiter, rogante et iubente domina mea Irmina abbatissa, hoc testamentum perscripsi et ipsa subter manu propria una cum testibus firmavit. Ego Irmina hoc testamentum meum relegi. Basinus episcopus. Ego Leotwinus episcopus. Ego Theodefridus. Gundebertus. Bertwinus. Adelbertus. Trasebrictus. Garibertus. Gazebertus. Audobertus. Waltharius.